

6

S P E C I M E N
O B S E R V A T I O N V M P H I L O L O G I C A R V M
A D C A R M E N D A V I D I S
T R I G E S I M V M S E X T V M

Q V O D
A V T O R I T A T E
A M P L I S S I M I P H I L O S O P H O R V M O R D I N I S

D. X V I I I . I A N. C I C I O C C L X V I .
E R V D I T O R V M E X A M I N I S V B I I C I E T
M. C A R O L V S F R I D E R I C V S B A H R D T
A D A E D. D I V. P E T R. C A T E C H.
R E S P O N D E N T E
C A R O L O G O T T L I E B G L O E C K N E R O
A R N S F E L D E N S I M I S N I C O.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A B R E I T K O P F I A.



BRUNNEN
THEATROLOGIA
ZIDIVIS VENITIA

1697. 2.

BRUNNEN



V I R O
SVMME VENERABILI
CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CHRISTIANO GOTTLIEB
GLOECKNERO

ANNEBERGENSIUM PASTORI PRIMARIO
SCHOLARVM INSPECTORI EIVSDEMQUE DIOCESEOS
SVPERINTENDENTI

LONGE CELEBERRIMO

PARENTI SVMMA PIETATE COLENDÖ



HOC
PIETATIS, AMORIS,
REVERENTIAE
D O C V M E N T V M
H A N C
GRATI DEVOTIQVE ANIMI
SIGNIFICATIONEM
O F F E R T

FILIVS DEDITISSIMVS
CAROLVS GOTTLIEB GLOECKNER.



OBSERVATIONES PHILOGICAE
AD CARMEN DAVIDIS
TRIGESIMVM SEXTVM.



§. I.

Ex quo tempore mihi contigit reuelationum diuinorum adyta meis oculis lustrare atque in primis ex ipsis fontibus infinitae sapientiae thesauros petere; mihi visus sum aliarum disciplinarum gustum omnem amittere et fere rapi ad assiduam codicis vtriusque Testamenti lectionem, cui etiam hos duos annos, sepositis omnibus negotiis, quae me ante detinuerant, ita me dedidi, vt consilium adeo cooperim his laboribus omnem meam vitam consecrandi, si id fortunarum mearum moderatori optimo maximo ita placuerit. Possum enim vsu iam proprio id confirmare, quod antea virorum doctissimorum autoritate ductus credideram, ineffabilem propemodum esse vim, acumen, gravitatem, suavitatem, dicendi copiam, atque potissimum in erigendo, instituendo, recreandoque animo virtutem

tem scriptorum facrorum et maxime poetarum. Quam grauitatem in Iesiae, dicendi copiam in Ieremiae, inque reficiendo consolandoque animo virtutem in Dauidis scriptis ipse expertus sum. Animum vero meum maxime mouit elegancia suauitasque Dauidis adeo, ut saepe miratus sim tot bonorum virorum simplicitatem, qui in laudandis huius regis carminibus verba inania perdiderunt, cum simul animaduerterem, neminem posse satis certum esse de hac sententia, nisi qui philologiae humaniorumque litterarum velut armatura munitus, interpretum audaciam, Homilistarum barbariem, mysticorumque peruersitatem superare valeat. Facile enim omnes emunctioris naris interpretes intelligent, in explicandis libris diuinis et potissimum his carminibus non sufficere Lexicographorum nostrorum eruditionem, neque philosophiam, neque ingenium luxurians, nec denique theologiae compendiariae notitiam: sed vnicula et optima interpretationis praesidia quaerenda esse primum in *vsum scriptoris* quem explicare velis obseruatione, ingenique linguae in qua scripsit diligentis indagatione: deinde in linguarum analogiae accurata notitia: denique in versionum veterum cauta diiudicatione. Quamuis autem tantos adeo spiritus mihi nunquam sumsi, ut putarem, me his praefidiis satis munitum atque instructum esse; hoc tamen sine fuco fateor, me in iis comparandis maximam operam impendisse, quoad per diuinae gratiae, quam indies imploraui, adstantiam fieri potuit. Perlegi enim primum ipse codicem, atque non solum vsum scriptorum obseruare, linguae ingenium perspicere, moremque loquendi ebraeorum cum more loquendi latinorum conferre studui, sed etiam propriis indicibus obseruata mandaui: deinde linguarum

rum reliquarum orientis, in primis arabicae cum ebraea similitudinem animaduertens, vocabula Ebraeae cum vocabulis arabicis comparaui, quod ad cuiusuis verbi *originem* perspicierendam multum facit: denique Versiones veteres, maxime graecas, interpretum Alexandrinorum, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, Hierichuntinam, et Nicopolitanam, quoad eorum in praestantissimo Montefalconii Operé extant fragmenta, semper ante oculos habui, atque pro virium mearum modulo diiudicare, indeque orationem N. T. illustrare conatus sum. Atque hac mea qualicunque opera in multis litterarum theologiarum studiosis linguarum orientis amorem propemodum languentem excitare contendi: idque in quibusdam consilium me obtinuisse iam intellexi. Quare cum cupiditate flagrem in hoc studio vterius proficiendi, non possum negare me eruditorum, de methodo, quam in tractandis explicandisque virorum diuinorum scriptis secutus sum, iudiciis, mirifice confirmatum iri. Atque hoc unum est quod me mouit, ut hunc libellum ederem, in quo speciminis loco carmen Dauidis trigesimum sextum interpretari suscepi. Excitatus enim a multis, ut *observationes meas philologicas ad carmina Dauidis omnia*, quas hactenus in scholis priuatis tradidi, typis exprimi curarem: quale opus difficulter aggrederer, nisi antea eorum virorum autoritate munitus fuerim, quibus iudicium in his rebus competit: constitui non solum hoc ipso libello, sed etiam quibusdam aliis proxime edendis, iis viris copiam facere, de his meis laboribus iudicium ferendi eiusmodi, quod et mihi et aliis cautionis loco esse possit. Rogo autem omnes, qui forte iudicis prouinciam fuscipient, ut bono animo mecum agant certoque confidant, me amicas reprehendentes.

hensiones summa cum modestia reuerentiaque excepturum, contra vero maliuolorum criminationibus censorumque ini-
quorum dictieriis minime terga daturum esse.

§. II.

Soleo autem in tractandis libris diuinis ita versari, ut primum argumentum et scopum textus, quam fieri potest, brevissime exponam, Versionem deinde latinam suppeditem i. e. eam, quae quamuis non elegantissima tamen ab ea barbarie remota sit, quam apud plerosque interpretes deprehendi, et quam in Commentario Venemae reprehendit Magnif. ERNE-
STIVS; *) denique ipsam verborum explicationem addam, quae fit ex ipsis linguae rationibus, ex aliarum linguarum analogia, et e Versionum veterum comparatione, remotis interim commentariis omnibus, excepto Grotio, qui mihi semper mirifice placuit, quamuis non negem, eum in quibusdam religionis nostrae capitibus non leuiter peccare. Deprehendimus enim in eius annotatis, potissimum iis quae ad vetus Testamentum scripsit, dictionis grauitatem et elegantiam, linguae ebraeae non contemnendam notitiam, et documenta critices passim nimis audacis, passim tamen admirabilis. Hoc itaque, non duce, sed comite (dux enim mihi Deus est, quem indies precor, velit me gratia sua munire et in primis cauere, ne vana gloriola ductus aut nouitatis studio captus, sentiam aliquid vel scribam, quod indignum esset Euangelio Filii sui) aggressus sum librorum sacrorum explicationem, cuius hic et sequentes libelli, quos proxime eruditorum examini subiiciam specimen exhibento. Suscepi hoc consilio interpretationem Psalmi trigesimi sexti, qui mihi inter
alia

*) Vide eius summi viri Theologische Bibliothek.

alia Dauidis carmina tum propter dictionis elegantiam, tum propter argumenti grauitatem maxime placuit. Carpit in eo carmine Dauides Profanos, qui, vt hodie regiones Christianorum implent, ita iam inter Iudeos, praeferunt his et Salomonis temporibus, ecclesiam Messiae peruersis principiis moribusque sceleratissimis deformabant. Eiusmodi homines, qui, negata prouidentia diuina, doctrinas religionis Messiae capitales ipsumque adeo Messiam respuebant, a Salomone saepissime vocabulo נזָן insigniuntur, quo tamen iam Dauides Pf. XIV, 1. vtitur eodem sensu. Ratio autem tractandi haec est, vt primum indolem eorum hominum describat, commatibus quinque prioribus. Deinde virtutes Dei omni eorum iniuria maiores esse ostendit v. 6. 7. 8. 9. 10. Denique ab eorum audacia iniuriisque immunis feruari cupit, ipsos autem exitio dari sempiterno. v. 11. 12. 13.

§. III.

Carmen hoc elegantissimum latinis verbis ita exprimerem: „Carmen Dauidis amici Iouae, tradendum Magistro Mufices. Profanus odio religionis virtutisque inducitur in eam sententiam, vt statuat, Deum negligere cultum, quem mortales ipsi praestare conantur. Rationibus enim suis male consuli putat, dum videret vitia, et hac de re ea fugienda esse existimaret. Vtitur autem sermone scelerato et doloso: et recte facta procul absunt ab eo. Consilia pectore versatur usque vana et peruersa. Sequitur instituta impia, ad quaevis flagitia pronus. At summus o Ioua! quo mortales prolequi soles amor, tuaque constantia tanta est, ut neque cogitando eam adsequi, neque audiendo impugnare deformareque queat. Iustitia tua stat immota: atque decreta tua sunt inexplicabilia. Bruta

B

non

non minus quam homines conseruat Ioua et tuetur. In primis vero summus tuus amor o Deus! quantus quantus est, et quam omni pretio maior! vt adeo mortales tuo sub imperio vitam tranquillam et incundam agere queant. Nam tu Ioua! eos cumulas beneficiis praestantissimis et bonis voluptatem summam adferentibus. Penes te est fons felicitatis verae et constantissimae. Per te reddimur sapientes, inuicti, beati. Velis ergo indeſinenti amore et beniuolentia complecti eos, qui te vere amant et colunt: neque permittas, vt superbia eorum me opprimat aut impiorum potentia mihi noceat. Contra fac, vt intereant scelerati homines. Impellantur ita, vt ruant in perniciem. „Iam huius versionis vindicationem ſuscipiamus.

§. IV.

Et videamus primum de inscriptione: לְמִנְחָה לְעַבֶּד יְהוָה לְזֹבֵר. Operae pretium non est monere, subaudiendum esse מוכיר quod adeo suppletur in versione Alex. per ψαλμὸς, (certe secundum quorundam lectionem,) non hoc folum loco sed et in multis aliis, vbi deeſt טהרה. Vocabulum autem מצען notat eum, qui curat, vt aliquid accurate et diligenter fiat: et cum de musica sermo est, praefectum, magistrum, χοροῦ διδάσκαλον. Nempe מצען vt patet e lingua arabica significauit olim vt ar. نصاعن sincerum, purum, putum esse, deinde vincere in foro, nam qui vincit, eius causa debet esse pura i. e. iusta: porro vniuerſe vincere. In Piel vt in C. IV. verbi מצען est facere vt quis vincat vel vniuersim facere vt quid serio recteque fiat, monere, vnde מצען monitor. Ex his cognoscitur causa, cur interpretes graeci tam varie hunc titulum reddant, vt Pf. XXXVIII, i. XL, i. Aquila: τῷ νικηποιῷ. Vbi νικηποιός, quo vocabulo conſtanter

stanter vtitur Aquila, nihil aliud est quam διδάσκαλος, posito nomine generis pro nomine formae: vt adeo crederem, solum Aquilam in eo codice, ex quo versionem suam confecit, veram lectionem aut habuisse aut restituisse. Nam reliqui nescio an non legerint לְנַצֵּחַ. Symm. ἐπινίκιος sc. ὡρὴ oda (vt Drusius vult) quae canitur ob partam victoriam. Apud Basiliū Hom. in Ps. XLV. ἐπινίκιον legitur, quod proprie palmam, proemium victoriae denotat et aliquando ipsam victoriam, f. ipsam pugnam, vt Es. LXIII, 3. חֲנִיא Sym. per ἐπινίκιον reddit et paulo ante cum reliquis Vers. gr. per έξι. Crederem tamen ἐπινίκιος et ἐπινίκιον dici etiam posse de quocunque carmine, quo Deus celebratur, quo sensu mihi legi videtur, in oratione quam scripsit Gregorius Nyssenus de occurso Domini: ἥμεῖς δὲ τῷ φιλανθρώπῳ θεῷ τὸν ἐπινίκιον ὑμεῖς ἀσωμεν. Alex. εἰς τὸ τέλος. Theod. εἰς τὸ νίκος. Puto autem Theodotionem, vt solet, etiam hic fecutum esse τοὺς ὄ, nam τέλος h. l. est νίκος: victoria enim est finis litium. Caeterum λέγεται putarem dici pro certe prosaicus ita dixisset. Reddo: tradendum Magistro musices. De Magistris Musices cf. in primis i Chron. XXV. Destinauerat itaque Dauides eiusmodi carmen ad usum publicum, vt caneretur in concione populi, celebrandi Dei causa, conincen-tibus instrumentis musicis. — De voce לְרוֹר notandum est, ↗ notare auctorem, unde sit, vt in versionibus graecis mox τῷ Δαβὶδ, mox τῷ Δαβὶד reperiatur, vt h. l. Sic ↗ reperitur i Sam. II, 8. לִיהוּה מִצְקִי אֶלְيָזָר Ioua fundavit terram. Et puto, par-ticulam ↗ habere in inscriptionibus eandem vim, quam habet ματὰ in titulis Euangeliorum: adeo vt non videam, quo spiri-tu afflati quidam statuant, ↗ exprimere inspirationem diui-nam. Restat autem vt de vocabulo נַבְרָה quaedam dicamus.

Videtur esse nomen dignitatis, quod contra Geierum moneo, quem vide ad Ps. XVIII, 1. Nam **עֶבֶד יְהוָה** est proprius, quo Deus vtitur familiariter, quo vtitur in exequendis consiliis: ita Apostoli θεοὺς θεοῦ dicuntur: quo sensu Moses singulariter dicitur, seruus Dei Num. XII, 7. et Christus apud prophetas passim. Certe etiam radix **עֶבֶד** in respectu ad Deum nusquam notat seruire sed *colere*; quod etiam docet arab. **عَبْد** adorauit c. V. pius, *Dei cultui addictus et deuotus fuit*: unde **عَبْد**, *adorator, cultor Dei*. Alexandr. h. l. habent **παῖς**, quod et in N. T. hoc sensu retinetur Act. IV, 25. Luc. I, 69. -- *Ministri* vero regii dicuntur *amici regis*, unde **הַמְּלֵךְ עֶבֶד** reddo *amici Iosephae*. De vocabulo **יהוָה** vide egregiam dissertationem Sixtini Amamae in eiusdem Antibarbaro biblico p. 297. seqq. ubi etiam quaedam reperies, quae longe copiosius demonstrauit Magnif. **crvsius** in Programmatibus de nominis **יהוָה** vera notione, et in Theologia eiusdem prophetica.

§. V.

Proponit itaque Dauides in parte prima carminis, rationes hominum profanorum, ita, vt primum eorum quasi Systema eiusdemque principia et fontes exhibeat, deinde eorundem mores describat. Prima Deismi hypothesis, et quae reliquarum in se continet rationem, ea est, vt statuant aut sibi falsum persuadere studeant: Deum negligere cultum creaturarum intelligentium. Quomodo enim, inquiunt, possit natura infinita et beatissima moueri actionibus naturarum finitarum? Atque hanc sententiam profani omnes arripunt, non ita, ac si argumentorum vi in eam inducerentur, sed quia molestem ipsis est Euangeliu Christi obtemperare. Haec Dauides ita sere proponit: **נִאמֵּן־פָּשׁׁע לֹשׁׁע בְּקָרְבָּן אֲקָדָר אֱלֹהִים לְנִגְדָּעַנְיָהִים**: **quaes**

quae ad verbum ita sonant: *Dicitum, quod apostasia suggesterit improbo: in corde meo est: Nullius esse timorem Dei in oculis eius.* Sic ferre Jonathan. Syrus: *Contemplatur improbus flagitium in corde suo, quia non est timor Dei ante oculos eius.* Cur in corde suo? facile vides, eum ut Alex. legisse נָבָל. Sed cur contemplatur? non video, nisi dices, eum tantum sensum exprimere voluisse. Alex. φησὶν ὁ παράνομος τὸν ἀμφετάνειν ἐν ἑαυτῷ, ἵνα ἐσὶ φόβος Θεοῦ ἀπένεινται τῶν ὀφθαλμῶν ἀντῶν: legerunt fere easdem litteras, sed alia puncta substituerunt, nam sine dubio ut sunt codice non punctato, quod innumera exempla docent. Forte legerunt: Intelligo eos sic: *Dicit improbus* (τὸν ebraice pro ἐν τῷ vel ἐις τῷ: nam ὅ ante infinitius Vers. gr. communissime ita exprimunt) *ad peccandum* i. e. ut possit tranquillo animo peccare, *nihili esse* (nam τὸ ὅν cum saepius reddant eo τὸ ήν videtur Alexandrinis significare *nihil*) *timorem Dei, coram eo* i. e. Deo. Magis recedit ab hac interpretatione Symmachus: φησὶν περὶ ἀσυνθεταστὸν τὸν ἀσεβοῦς ἔνδοθεν ἡ παρέδοια μου, οὐ πρόκειται φόβος Θεοῦ ἄντικρος τῶν ὀφθαλμῶν ἀντῶν: forte legit עט vel בושׁ: caeterum confirmat electionem vulgarem: et eleganter reddit τὸ ήν per οὐ πρόκειται. Sensus: *De perueritate improbi sic statuo, eum non curare cultum Deo debitum.*

§. VI.

Sed videamus de verbis ebraicis paulo diligentius. סְנָא. Quanquam Versiones veteres tribuant huic vocabulo notionem simplicem *dicendi*, tamen mihi videtur proprie esse *sufurrare, summisse loqui*: quam vim habet in lingua arabica نَسَّ; *mussitauit, genuit, et* ^{soo} vox debilis et occulta, f. *submissa*. Unde τὸ יְהוָה סְנָא proprie esset id, quod vatibus a Deo patesat.

ctum est, quatenus id, ex opinione hominum, ita sit, ut Deus quasi cum iis summissim fabuletur et susurret. Nam certe Barbari opinionem de Deastris suis alebant hanc, vt putarent, Deos cum eo, cui aliquid patescerent, loqui voce leni^{*)}. Iam נָמָם proprio est *loqui voce leni*, deinde *inspirare*. Vedit haec iam Vitringa et post eum Boisius. Itaque פְשׁוּעַ מִנְמָר effet id, quod improbitas quasi inspirat et suggerit. Sed פְשׁוּעַ ה. l. potest et debet accipi de apostasia, defectione, qui est eius significatus proprius. Nam פְשׁוּעַ est nolle teneri legibus, αθετεῖν: qui usus apud Ieremiam inprimis frequens. — Describit itaque Dauides ingenium hominis profani ad desertionem Dei proclive, ostenditque nolle eum teneri legibus religionis, eamque libidinem ipsi quasi hoc inspirare, ut statuat; Deum nolle coli ab hominibus. Nam verba בְּקָרְבָּן Schultensius putat dici pro לְבֵבְךָ, quod mihi vehementer arridet. Est autem ebraeis לְבֵבְךָ i. q. בְּקָרְבָּן et בְּלֹבֶבְךָ i. q. *in me sc. est*, id est: *sic statuo, ita ratum fixumque habeo*. Alias Dauides hoc exprimit per אֲמְרָתִי ut: Ps. XXXIX, 2. — Iam addit id, quod statuat: אֵין וְנוּ. Puto גַּם pertinere proxime ad לְנָדָר עַנְיָה: atque esse substantium verbi אֵין, quod significat, molestiam, vanitatem. More itaque ebraeorum אֵין נָגֵד עַנְיָה reddi debet nihil aestimo, negligo, videtur mihi nullius momenti esse: quod moneo contra eos, qui τὸ πᾶν pro particula simpliciter negante habent, quae causa male a quibusdam intelliguntur loca eiusmodi, in quibus e. g. phrasis reperitur אֵין אֱלֹהָם quod inepte reddunt non est Deus. Cf. Ps. xiv, 1. Redendum ad verbum: nihil, vanitas est Deus: hoc est: id omne, quod de Deo statuunt, nempe eum interessere rebus humanis, eum velle coli

a mor-

^{*)} Vid. Iob. IV, 12. 17.

a mortalibus, id vanum et ineptum est. Certeque haec est Naturalistarum sententia, quae et hic loci obtinet, et quae expressius apud Malachiam III, 14. ita proponitur: אַמְרָתָם שׁוֹאָם עַבְדֵּי אֱלֹהִים וְנִ. Statuunt igitur profani vanum esse & nihili a Deo haberi פָּחָד אֱלֹהִים cultum quem mortales ipsi praestant. Certe in uniuersum notat timorem, et de Deo valet modestiam, reverentiam; denique ipsum cultum Dei. Profecto nunquam de timore servili dicitur, non magis quam Φόβος καὶ τρόπος in N. T. vide Amamae Antib. p. 446. — Coeterum suffixum יְיָ in עִירֵינוּ pertinere ad אֱלֹהִים docet nexus orationis. Itaque videtur, Dauides in hoc commate diligentissime depingere Deistas. Dicit eos homines per se esse improbos, Cutitur enim vocabulo רָשָׁע loco נָבָל quoniam exhibet eos magis eatenus quatenus sunt רָשָׁעִים quam quatenus sunt נָבָלִים et propterea sibi sponte persuadere, Deum ipsum negligere mores mortalium. Ostendit itaque eos non argumentorum vi, non rationis usu, neque adeo praejudiciis duci, sed sola animi malitia. Intelligere homunciones, religionem Messiae non posse deferi ab eo, qui simul persuasus sit de eo, velle Deum coli a mortalibus: nullum enim cultum esse Deo dignum quam qui docetur in Euangelio. Hanc itaque peruersam animi virtutem sanctitatemque fugientis indolem, eos adigere et impellere, ut credant, quamvis inuita etiam ratione, Iovam esse eum, qui non delectetur pietate, qui negligat recte facta, qui mortales non dignos censeat, quos regat, amet, puniat.

§. VII.

Subiicit huius rei rationem commate secundo: בִּיהְחַלִּיק rei rationem commate secundo: אלְיוּ בְּעִינְךָ לְמַאֲאָצָה עַזָּה לְשָׂנָא. Mirum est, quomodo interpretes haec verba torquere conati sunt. Certe maxima obscuritas

latet



latet in verbis: כי הַחְלִיק אֶלָיו בְּעֵינָיו quae plerique interpretes ita reddunt: *quia blanditur sibi in oculis suis.* Quae sententia ut pugnat cum legibus linguae, ita defensores suos impedit, quo minus possint se expedire in explicatione τὸν λόγον, e difficultatibus quas oriri animaduertunt per substitutionem vocabuli omissti. Volunt enim communissime, subintelligi, *virtutem* seu ut Chald. *vult, doctrinam.* Quae ellypſis in hoc loco mihi nimis dura esse videtur. Sed videamus an via expeditior proest. Notum est ḥalak habere notionem *dividendi, blandiendi, lubricandi.* Et putarem genealogiam radicis esse hanc: ut notio dividendi sit prima et originalis, quae nos ducat ad linguam *divisam*, unde bilingues, inde ad verba *lubrica* et periculosa, et denique ad sermonem *blandum*, ex quibus notio *blanditici* et *lubricitatis* nascitur. Docet autem hoc arabica lingua, cuius radix خلق notat *aequabilem redditum*, mensuravit rem antequam *secares, commensus est:* habes notionem *dividendi.* Porro: *leni oratione usus est:* habes *blandiendi!* Denique: *leuem esse — pulchra facie esse* (poetae autem dicunt *vultum lubricum adspici*, *vultum pulcerimum.*) C. II. *oblinere:* en notionem *lubricitatis.* Iam adde hoc, ebraeis *lubrica* dici pro periculosis ut: Pf. XXXV, 6. & intelliges, verba *כִּי־הַחְלִיק אֶלָיו בְּעֵינָיו* ad verbum sic redi debere: *Nam lubricat ad eum in oculis eius;* eorumque sensum esse hunc: *Nam ipsi pericolosum esse videtur.* Ebraei enim *in oculis* dicunt plerumque dupli sensu. Ubi nimis de *agere* sermo est, ibi idem est ac *coram* Prou. 1, 17. vbi autem de *eſe*, ibi idem est ac *aſtimari, haberi, videri.* Iob. 18, 3. Deut. 12, 8. Prou. 28, 11. Itaque *בְּעֵינָיו* optime redditur, *videtur ipsi.* Et τὸν λόγον possit hoc loco abesse.

§. VIII.

§. VIII.

Iam non difficilis erit intellectu, notio verborum: נִצְחָן,
עַזְבָּר לְשָׁנוֹן. Continent autem obiectum praecedentium. Quidnam
est quod periculorum, quod adeo lubricum esse videatur profa-
no? Verum נִצְחָן plerisque est h. l. frui, delectari;
quid ergo? Dicam paucis. נִצְחָן pr. est videre quod ante non vi-
deras, vel videre nolueras: vnde inueniendi notio. Sic τὸ ἐν-
γλωττεῖν etiam legitur Rom. VII, 21. ἐνθέσθαι αἴρει τὸν νόμον τῷ θέλοντι
ἔμοι ποιεῖ τὸ καλὸν, video adesse legem etc. sic v. 18. τὸ δὲ κατεργά-
γάζεσθαι τὸ καλὸν ὅνχα ἐνθέσθαι. Eodem modo notat cognoscere De-
um ante non cognitum, vt: Rom X, 20. ἐνθέσθη τοῖς ἐμὲ μὴ γνω-
τοῦσιν, ἐπιφανῆς ἐγενόμην. — Sic נִצְחָן est videre adesse Gen. II, 20.
וְאֵת מִצְחָן, Videbat hominum carere adiutorio. Quare etiam
Alex. aliquoties per idem vt Ier. XXIII, II. καὶ ἐν τῷ δίκῳ μου ἔ-
δον πονητας ἀντρῶν, ubi in ebr. est יְהוָה. Apparet, inuenire pec-
catum, esse i. q. videre, agnoscere. Iam τὸ נִצְחָן ita est accipien-
dum, ac si exhiberet id quod proxime fluit ex τῷ עַזְבָּר לְשָׁנוֹן. Nimi-
rum est pr. odīsse, deinde fugere, quoniam quod auferiamur id etiam
fugere solemus. Peccatum itaque agnoscere, hoc periculorum
suo systemati, hoc suis rationibus contrarium esse animaduer-
tit profanus. Nam ex cognitione peccati fluit odium eius
et desertio. Qui enim certo persuasus est de peccato eiusque na-
tura et grauitate, is non potest non intelligere, illud esse fugi-
endum, eumque esse poenis dignissimum, qui reluctante hac
conscientia, illud amet et sectetur. Iam versu primo
dixerat Davides, haec esse profanorum indolem, vt religio-
nen virtutemque nolint, vt vitia ament, vt libidinibus in-
dulgeant, eamque ob causam sibi persuadere conentur, Deum

C

negli-

negligere mores et cultum naturarum intelligentium: ergo
 hoc versu docet, quae sit hujus sententiae fons et origo; cur
 nolint credere, *Deum velle coli ab hominibus*: scilicet periculosum
 et lubricum ipsis videri peccatum agnoscere illudque adeo
 fugiendum esse existimare. Etenim si concederent, Deum
 velle coli ab hominibus, simul concedere cogerentur *moralitatem*
actionum. Immotum enim est argumentum hoc: Si ve-
 rum est, Deum postulare a naturis intelligentibus cultum,
 virtutisque studium, efficitur, actiones Deo indignas, esse sce-
 lera poenis afficienda. Abhorret autem profanus ab hac ar-
 gumentatione, quia suaue ipsis est, indulgere libidinibus; contra
 molestum, iis vim inferre easque coercere. Haec itaque hu-
 ius *textus explicatio*, quamvis inter recentiores interpretes
 neminem videam, qui eam amplectatur, tamen Veteribus iam
 placuit. Syrus locum sic reddit: *Quia exosum est in oculis eius,*
relinquere peccata sua & odisse illa. Alex. ὅτι ἐδόλεσεν ἐνώπιον αὐτῷ,
 τοῦ ἐνεργοῦ τῆς ἀροπίας αὐτοῦ, οὐκ μισθοῖ. Vides verba magis ebraica
 esse quam graeca. Intelligo ea sic: *Fucum ipse sibi facit, in*
videndo malo (του ut supra dixi dum respondet ebr. ἡ explicandum
 mox per εἰς τὸ mox per ἐν τῷ) *et detestando;* i. e. Se ip-
 sum quasi decipere conatur in videndo malo, propterea quod
 sedulo cauet, ne illud videat, et hac de re fugiendum esse
 intelligat. Symmachus non minus eleganter: ὅτι ἐξολισθά-
 νει τὸ περὶ αὐτοῦ δοκεῖ, τοῦ ἐυρεθῆναι τὴν ἀδικίαν αὐτοῦ, εἰς τὸ μι-
 σθῆναι αὐτὸν. Non aliter legit quam nos. Nam ἐξολισθάνω ut
 ἐξολισθέω est prolabor. Iam in via *lubrica*, lapsus est facillimus cf.
 Ps. xxxv, 6. Itaque קהיל Synmacho est: *esse in via lubricavel*
 adeo *labi.* Unde etiam Prou. II, 16. הַרְחִיקָה reddit ἐλασθησ.
 Praeterea bene expressit τὸ בְּעֵינָיו per δοκεῖν, et ad יְהִי subaudi-
 uit

uit שׁוֹר, vnde sensus oritur hic: *Omnia quae circa eum sunt (veluti munimenta, praesidia, valla, i. e. totum eius sistema, absurdaque hypotheses quibus illud superstructum est) fere in librico esse et adeo prolabi videntur, in videndo peccato ad illud odisse i. e. dum videre vellet et agnoscere peccatum adeoque illud fugiendum esse existimare.* Vides, confirmare Versiones integritatem textus et sententiae meae veritatem.

§. IX.

Audiuitis ergo Profani! Davidis de vestro systemate sententiam. Audiuitis ex quam impuro fonte prorumpant soetentes aquae; quibus vos aliosque Evangelii vinculis teneri nolentes, potare et quasi inebriare consueuitis. Videte etiam mores vestros, quomodo eos depingat diuinus Poeta: רַבְרוּ־פִוּ Primum quidem נָא proprio est *inutile, vanum*, unde arab. עֲמַדֵּל med. يَسْعَ, *tassus, defatigatus fuit, et أَيْنَ molesta.* Quare Aquila amat reddere per ἀνωφελεῖς. Accipit deinde notionem moralem, vt sit *scelus, impietas.* Vnde Symmachus αὐτοῦ et Hof. IV, 15. αὐτοῖς quasi dicas αὐτοῖς. Itaque דברי נָא redde: *utitur sermone scelerato, turpi, iniurio aduersus Deum eiusque filium, honestatis religionisque leges violante, sarcastico, obsceno, oraculis diuinis illudente &c.* Deinde חַד seq. infinitiu c. וְ vt Gen. XVIII, II. notat cessationem et finem eius rei quam infinitius indicat: Respondeatque in uniuersum arab. خَذْل cuius variae significationes (vt a. *debilem, flaccidum esse.* b. *frustrari.* c. *desstitui auxilio, vt Ies. LIII, 4. d. c. VI. desistere e. c. II. relinquere) nos coniectare faciunt, primam notionem τεῦ חַד esse τὸ abire. Abeunt autem vires unde debilitari; spes in alterius auxilium posita, vnde *desistere*; attiuitas vnde intermittere *agere*; res denique ipsa de qua sermo est, vnde *desinere esse.* Idem docent*

Versiones graecae vocabulis: πάνειν, απέχειν, χολάζειν, κοπάζειν, ἀπολέίπειν, αφίσταμεν, ἐκλέίπειν, ήσυχαιζεν. etc. Denique להשכיל debent coniungi ut correlata. Aliqui interpres disiungunt haec verba ita, ut reddant: *Non sapiunt neque bene agunt*. Verum videor mihi obseruasse, duos infinitiuos quibus ה prefigum est, non esse coniungendos, nisi alteri ה praefigum sit. vide v. 3. verba למצא – לשניא. Ergo pertinet ad ליהי et pertinet ad התייב. Iam sunt recte facta h. l. idem quod טוב; et ה. l. simpliciter *nolle*. Symm. απέχετο τοῦ ἐνοεῖν ἐνπρεγγῆσαι. Alex. ὅντες ηβουλήθη συνιέναι τοῦ (τοῦ iterum pro εἰς τὸ) αγαθῶναι.

§. X.

